

limum. Hæc autem omnia cum in te unum singula iam à principio confluisse conspicuum sit, quis admirationi locus esse potest, si Ecclesiastici Orbis Vniuersi Rector, Pontifex Summus Urbanus VII. Minimitanum calum tuis humeris semel, & iterum commendauerit sustinendum? Scilicet canoro te fame plausu perceperat, ad eum meritorum cunctam apicem, qui summæ in Religione dignitati debebatur. Nouerat Te pro Conuentu Placentiæ primum ad Prouincialia, deinde pro Lombardiæ Prouinciæ ad Generalia Comitia destinatum Commissum: Octies in eadem Prouincia Correctoris bis Prouincialis Collegæ, & semel Correctoris Prouincialis officio functum: semel in Genuesem ab Eminentissimo Protectore, & iterum in Venetam Prouinciam à Reuerendissimo Patri Generali Visitatorem transmissum: Hiscè uerò muneribus adeo præclare functum, ut multo plus à te acceperint, quam Tibi contulerint dignitatis, & laudis. Nouerat Te post hæc, ut quam in tot obeundis prouincijs præluxeras, prudentiam, ac morum integerrimam honestatem in alios effunderes, ad Nouitios informandos deputatum, & ueluti animatum exemplar tyronibus propositum. Non cum latebant eximia animi tui dotes, non frequentia in sacris, pius affectus in precibus, sollicitudo in officijs, uel soletia in ministris. Ecquis tandem poterat ignorare Urbanitatem tuam in moribus, qua te omnibus fecit amabilem? Quis vigorem mentis, qui te præstitit in laboribus indefessum? Quis in dignitatibus non modo non appetendis, sed etiam eludendis, fugiendisq; constantiam, & perpetuam à te bene actæ uitæ rationem, nunquam in susceptis consilijs astuantem? At meum non est in præsentiarum tua referre encomia, præconia tibi recitare: Volebam Priuilegia Ordini nostro à Summis Pontificibus concessa, opera, & studio R. P. Laurentij de Peyrimis amicissimi tui, dum uiueret, ac Prouinciæ meæ splendoris explicata, ac illustrata Paternitati Tuæ Reuerendis. offerre, dum beneficis in me collatis beneficia intexis, & beneficiorum vinculis beneuolentiæ vincula connectis, ipse aliquid grati animi pignus persoluerem; sed nescio quo raptus entusiasmo calamus in tuas laudes eruperat: fortasse putauit modica de innumeris uirtutibus, meritisq; tuis attramento deducta scribens occurrere ardentissimæ cupiditati meæ, qua teneo, ut ex ista tam exigua laudum enarratione cumulas in te uno uirtutum omnium præclarissimas dotes agnoscant omnes, atque suspiciant. Quis enim contempletur hoc tempore dignitatem tuam, nec obseruet eam religiosus? Quis in fastigium illud, ad quod, non comite fortuna, sed uirtute duce olim euectus, nuper ad triennium à Summo Pontifice Deo inspirante confirmatus, desinat oculos, nec letetur uberius, testesq; lætitiæ uoces liberius non emittat? Quamobrem inter effusas nostrorum hominum gratulationes, quæ ex uniuersi Orbis partibus ad te conuolant, ego tibi hoc munere statuo gratulandum. Suscipe interim, Reuerendissime P. & excipe opus, & me tuis sub auspicijs qualicumq; modo lucubrantem, ac nostri Ordinis incrementa uiuas phæniceos annos.